

## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (53)*

#### *14.2. De Coadiutore instituendo*

In secundo praescriptō maioris momenti in relatione visitationis exhibitō, quod quoque Congregatio Religiosorum comprobaverat, agebatur de Coadiutore, qui ad auxilium Archiabbatis institueretur. Hac in re Archiabbas Norbertus - aliter ac in commissione pecuniariā conatus est - nihil facere valuit neque inceptum retardare potuit.

Uti ex relatione ad Congregationem Religiosorum directā appareat, visitatoribus iam erant certae deliberationes, quod attinebat ad modum progrediendi in Coadiutore eligendo. Nam conventuales, quibus ius suffragii erat, tria nomina illorum Patrum in schedulā inscriberent, quibus munus Coadiutoris tradī posse putaverunt, et hoc quidem ordine p̄aeferentiae. Suffragiis autem latis illae schedulae in involucro clauso Romam transportandae erant, ubi ab Abbe Primate numerarentur atque existimarentur et eventus ad Congregationem Religiosorum nuntiaretur.<sup>1</sup> Hunc progrediendi modum Congregatio Religiosorum approbaverat.<sup>2</sup>

Sed hic modus non omnino cum formā normali alicuius electionis abbatialis congruebat. Tamen visitatoribus erat causa, cur talem modum esse opportunum putarent, quo revera autonomia Archiabbatiae minuebatur. Nam eis «*perturbatio praeſens*»<sup>3</sup> apud monachos atque in Conventu Ottiliensi vigens nimis magna esse videbatur, ut vera electio abbatialis institueretur. Timebant enim, ne hac internā condicione intentā Archiabbatiae viro cuidam non apto regimen traderetur, qui ad problemata interna externaque nihil attribuere valeret.<sup>4</sup>

Quamquam Conventus Ottiliensis officialiter nondum quicquam de aliquo Coadiutore instituendo atque de eiusdem «electione» scivit, Fidelis von

---

1 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), S. 12 (ASA, APr 574), quo loco hic modus singillatim explicatur.

2 *Cfr* scriptum Congregationis Religiosorum die 16 m. Maii ad Fidelem von Stotzingen directum (ASA, APr 574).

3 Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), S. 11 (ASA, APr 574): «*nelle presenti stato di agitazione e perturbazione*».

4 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), S. 11 (ASA, APr 574). - Sic etiam Cyril SCHÄFER (2005), S. 172.

Stotzingen colloquiis cum nonnullis Patribus habitis caute iam exquisivisse videtur, qui secundum eorum sententiam, si res ferret, ut successor Archiabbatis Norberti veniret in quaestionem.<sup>5</sup> Hoc in conexū videlicet nomen P.ris Chrysostomi Schmid, Prioris Coreani monasterii Tokwon, saepius prolatum est. Etiam de P.re Chrodegango Hartmann<sup>6</sup> illius temporis Sub-priore monasterii Otteliensis sermo fuisse videtur.

Abbas Primas praeterea de sententia Abbatum assistentium, qui inde e fine visitationis notitiam Coadiutoris eligendi habuerunt, interrogavit, quid de his personis sentirent. Quamquam scilicet nemo illorum ipsam electionem Coadiutoris participavit, eorum existimatio Abbatii Primati nihilominus erat alicuius momenti. Abbas Placidus Vogel Suarzacensis verbis clare expressit se Coadiutorem futurum preeferre P.rem Chrodegangum, cum Idem non solum in vitā monasticā prorsus coaluisset, sed etiam erga subditos esset firmus in re, sed erga Superiores semper esset modestus.<sup>7</sup> Archiabbatem Norbertum - haec erat sententia Abbatis Placidi - cum eo facilius cooperari valere quam «*cum altero dominio, qui in quaestionem venit*»,<sup>8</sup> qui, cum adhuc in Archiabbatī Otteliensi versaretur, Archiabbatī interdum modo indecoro obstitisset. Tamen «*candidatum alterum*», id est P.rem Chrysostomum, experientiā missionariā eum superare.

Scilicet Archiabbas Norbertus quoque de opinione suā quoad personam Coadiutoris futuri interrogatus est. Brevi commentario privato erga Abbatem Primatem protulit se ipsum «*hōc momento dato*» P.rem Chrodegangum preeferre, tamen secundum ipsius sententiam etiam P.rem Chrysostomum

---

5 Hoc appareat ex adnotatione quadam Abbatis Primatis in epistulā die 31 m. Maii a. 1930 ad Bonifatium Sauer directā (ASA, APr 585).

6 P. Chrodegangus Hartmann natus die 3° m. Aug. a. 1887° in loco Heidenberg in dioecesi Trevericā sito sacerdotio auctus est die 14° m. Iul. a. 1912° et deinde monasterium Otteliense intravit, ubi die 29° m. Iun. a. 1915° vota sua protulit. Idem die 15° m. Oct. a. 1953° Vitoduro\* vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0532, p. 59.

\*) Vitodurum: Winterthur. - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 337; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL (1972) 3, p. 642.

7 *Cfr* epistula Placidi Vogel die 13 m. Iun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578). - Responsum Abbatis Coelestini Maier ad hanc quaestionem Abbatis Primatis in archivis non invenitur. Fortasse idem de hac re nihil protulit.

8 Ut patet, sympathiae Abbatis Placidi, quam erga P.rem Chrysostomum sensit, fines quidam erant positi.

officio «*omni ex parte par*» esse.<sup>9</sup> Nihilominus Archiabbas Norbertus suspicatus est P.rem Chrysostomum tamquam Coadiutorem plures difficultates in monasterio habiturum esse. Scripto quodam officiali ad Abbatem Primatem directo, cui titulus est «*Nominatio successionis*»,<sup>10</sup> Archiabbas Norbertus existimationem vere positivam P.ris Chrysostomi exhibuit, in qua post brevem eius biographiam indolis qualitates atque facultates candidati exposuit.<sup>11</sup> Finis est sententia haec: «*Cum idem regimen Archiabatiae Ottiliensis accipiet, tunc constantia ferrea viam ei praescriptam ibit.*»<sup>12</sup>

Abbas Primas haec omnia verba ut indicium satis clarum percepit, quis esset vir aptus ad munus Coadiutoris explendum.<sup>13</sup> Itaque Abbatem episcopum Bonifatium Sauer iam praeparavit suffragia verisimiliter in P.rem Chrysostomum casura esse.<sup>14</sup> Etiamsi Abbas episcopus Bonifatius Sauer hunc in

---

9 Cfr epistula Norberti Weber die 30 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

10 Norbert Weber: *Nominatio successionis*, 30.4.1930 (ASA, APr 578). - Titulus quidem est Latinus, sed ipse textus est Theodiscus.

11 Sententia, qua scripsit quaedam in indole P.ris Chrysostomi tempore ipsius Ottiliensi quadamtenus dura esse visa tamen experientiā missionariā paulo mitigatam esse, verisimiliter refert ad unam alteramve dissensionem inter P.rem Chrysostomum atque Archiabatem Norbertum, cum idem cum ducendi modo inconsistente Archiabbatis non omnino consentiret. Itaque P. Chrysostomus anno 1922° in missionem Coreanam se contulit, id quod verisimiliter pro utraque parte erat prudenter factum.

Ceterum Archiabbas Norbertus in scripto suo ut condicionem positivam adnotavit P.rem Chrysostomum ex laboribus suis missionem noscere. Sententia autem insequens tamen aliquatenus mira est, cum scribat haec: «*hanc (sc. scientiam missionis) tamen solum unā ex parte et in imagine quidem, quam missio Coreana praebet, quae nullo modo pulchra missio Benedictina est.*» (Sententiae originaliter Theodisce). Hoc enuntiatum revera solum error scribendi vel omissione esse potest, cum sciatur, quantopere Archiabbas Norbertus missionem Coreanam ut vere Benedictinam aestimaverit, et quantum secundum ipsius sententiam alterā ex parte sub hōc aspectu in missione Africā defuerit.

12 Hac sententiā fortasse etiam quaedam critica propria inest, cum talia ultimis annis praeteritis ipsi non plene contigerant. - Similis etiam est interpretatio, quam Cyril SCHÄFER (2005), p. 170 exhibit.

13 Cum Abbas Primas Bonifatio Sauer confessus esset se ipsum P.rem Chrysostomum parum noscere et se itaque conclusiones trahere ex sententiis, quas undique audivisset, manifestatur Romae non ab initio constitisse, quis Coadiutor institueretur.

14 Cfr epistula Fidelis von Stotzingen die 31 m. Maii a. 1930 ad Bonifatium Sauer directa (ASA, APr 585). - Ad hanc rem cfr etiam Cyril SCHÄFER (2005), p. 170. - Sententia ab Abate Placido Vogel prolata illo temporis momento Abatti Primi non dandum ad manum erat.

modum Priorem suum atque vicegerentem amitteret, rogavit, ut tamen - si res ita se haberent - P. rem Chrysostomum commoveret, ut idem assentiretur, cum ageretur de «*existentia vel interitu carae Congregationis*».

Quamquam Abbas Primas - quod bene intellegitur - ad properandum instigaverat, quod attinebat ad Coadiutorem instituendum, Congregatio Religiosorum denique die 26° m. Maii a. 1930° vota visitatorum atque progrediendi modum in Coadiutore eligendo praecogitatum comprobavit,<sup>15</sup> ergo septem septimanis postquam relatio visitationis ei erat praebita. Fidelis von Stotzingen deinde satis celeriter egit. Ipse in rescripto Romano nominatus erat praeses electionis. Cum vero illo tempore in Germaniam venire non posset, die 30° m. Maii a. 1930° ut viceregentem instituit Abbatem Simonem Landersdorfer, qui electioni praeesset.<sup>16</sup>

Deinde res revera progredi coepit. Die 11° mensis Iunii Archiabbas Norbertus cum Abbe Simone Landersdorfer convēnit, ut electionem Coadiutoris praepararet.<sup>17</sup> Die 12° m. Iun. a. 1930° denique scripto Latino Abbatis Simoni ad monachos Ottilienses nuntius inopinatus pervēnit Coadiutorem Archiabatis Norberti electum sive institutum iri. Sessione autem brevi, ad quam omnes monachos sollemniter professos convocaverat, Prior P. Martinus Malter omnibus praesentibus de factis rettulit, nempe de statū Coadiutoris futuri, qui de omnibus condicionibus spiritualibus atque materialibus Archiabatiae responsalis esset, et de speciali modo electionis.<sup>18</sup> Hac in re omnibus, quibus suffragii latio est, non quidem permitti electionem directam, sed unicuique eorum in schedula sua electoria tres candidatos huius muneris

---

15 *Cfr* scriptum Congregationis Religiosorum die 26 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missum (ASA, APr 574).

16 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Decretum, 30.5.1930 (ASA, APr 578; ASO, A.3.3.3). - Norbertus Weber in epistula die 12 m. Iun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578) adnotavit hōc modō, quō Abbas Simon praeses electionis institueretur, conexus inter electionem atque visitationem valde demonstrari. Hoc fortasse ita se habet, sed quaestio ponenda est, quis alias ac unus ex visitatoribus praesidium suspicere potuisse. Aliquis ex Congregatione vel ipse Archiabbas non fuisset idoneus. Scitū dignum est Archiabatatem Norbertum in eādem epistulā scripsisse se itaque «*verisimiliter iam septimanas vel fortasse dies numerare posse, cum coactus sim, etiam resignationem meam ut regens Congregationis exhibere*». Omnino falsum hac suspicione tamen non dixerat.

17 *Cfr* epistula Norberti Weber die 12 m. Iun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

18 *Cfr* Ann. Otti., 12.6.1930 (ASO, A.3.4.4). - De hac re etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 171; Godfrey SIEBER (2016), p. 115.

proponere licere; numerationem atque decretum deinde Romae fore. Diem electionis die 17<sup>o</sup> m. Iun. a. 1930<sup>o</sup> futurum esse constitutum erat. Tamen provisum erat, ut Archiabbas regimen totius Congregationis retineret.<sup>19</sup> Scriptum autem Abbatis Simonis denique, ut omnibus noscendum traderetur, tabulae nigrae affixum est. Ibīdem legebantur haec:<sup>20</sup>

*«S. Sedes et Rssmi Archiabbatis desiderio votoque Visitatorum Apostolico-rum obsecundans, decrevit Rssmo Archiabbi Norberto Abbatem coadiutorem dare, qui plenam in spiritualibus et temporalibus potestatem habeat in Archiabbatia S. Ottiliae cum iure successionis, retinente Archiabbatē tantummodo regimine Congregationis. Nominatio abbatis coadiutoris S. Sedes sibi ipsi reservavit facta conventui Archiabbatiae facultate proponendi tres candidatos.*

*Ex mandato Rssmi et Illmi D.D. Fidelis de Stotzingen, Abbatis Primatis, Delegati Apostolici pro Congregatione S. Ottiliae invitamus, vocamus citamus ad diem 17. Junii h.a. omnes et singulos praesentes huius Archiabbatiae monachos solemniter professos et in sacris constitutos, qui suffragii iure utuntur secundum sacros canones et constitutiones Congregationis, atque mandamus ut Prior claustral is in litteris certificatis absentibus capitularibus, qui iure electionis gaudent, nuntiet diem electionis, qui aut personaliter convenient, aut si legitime sunt impediti, procuratorem constituunt. (cf. No 215 Constitutionum). Juxta No 217 Constitutionum non sunt denuo invitandi, qui in missionibus degunt.»*

Quia monachi usque ad hōc temporis momentum de aliquo Coadiutore instituendo nihil sciverant, de hōc nuntiō aliquatenus perturbati erant et partim etiam non satis bene sciverant, quomodo de eodem agerent. Nonnulli Fratres - verisimiliter potius indole sobriā praediti -, qui scriptum expositum a Patribus sibi vertendum curaverant, putaverunt hanc rem simpliciter esse

- 
- 19 Abbas episcopus Bonifatius Sauer iam brevi, postquam decretum percepit, quo Archiabbi Norberto munus Superioris generalis relinquatur, aperte dixerat se hōc non aestimare, cum, etiamsi eum amaret atque coleret, tamen clare videret eum esse virum confectum.
- 20 Simon Landersdorfer: Wahlbenachrichtigung, 11.6.1930 (ASO, A.3.3.3). - In epistulā circulari Prioris P.ris Martini Malter, 15.6.1930 (ASO, A.1.8.1) initium huius documenti ad verbum affertur.

Archiabbatis remotionem a munere.<sup>21</sup>

Etiam si quaedam perturbatio intellegibilis vigebat, Patres in minoribus variatisque coetibus statim de possibilibus candidatis porponendis communicare cooperunt, et hoc quidem - ut Annalista expressis verbis adnotavit - «omnino non modo excitato vel conspicuo».<sup>22</sup> His in colloquiis satis celeriter quattuor nomina apparuerunt, nempe P.ris Chrysostomi Schmid, P.ris Chrodegangi Hartmann, P.ris Bennonis Heckel et P.ris Conradi Rapp (qui illo tempore in regione Yenki versabatur).<sup>23</sup> Nomen autem, quod creberrime proferebatur erat P.ris Chrysostomi.

Patres fuisse perturbatos et verisimiliter etiam offensos non in ipso facto Coadiutoris futuri positum erat. Verisimiliter visitatione habitā aliquo modo exspectaverant regimen Archiabbatiae mutatum iri. Condicio, quam aegre tulerunt et quam dolebant, erat modus eligendi, id est novum Abbatem suum directe eligere sibi non licere. Plerique Patres existimaverunt electionem tantummodo esse spectaculum et Romae candidatum quandam aliis iam antepositum esse, fortasse iam esse praedispositum. Quod eis ius suffragii - «ius primarium atque maxime proprium monachi professi Benedictini», ut dicebatur - esset subtractum, multi se publice esse expositos percepérunt, tamquam Conventus Otteliensis virum aptum dignumque eligere neque vellet neque valeret.<sup>24</sup> Hoc in problemate Ottiliani diutius versabantur.<sup>25</sup>

---

21 Sic refertur in Annalibus diei 16 m. Iun. a. 1930 (ASO, A.3.4.4). - Etiam Thomas SPREITER: Tagebuch, 10.7.1930 (ASO, A.1.8.1) hunc modum appellavit «formam subtiliorem remotionis».

22 Ann. Ottil., 14.6.1930 (ASO, A.3.4.4).

23 Cfr Ann. Ottil., 16.6.1930 (ASO, A.4.4).

24 Cfr de hac quaestione adnotationes in Ann. Ottil., 16.6.1930; 17.7.1930; 31.8.1930 (ASO, A.3.4.4). Ad hanc rem etiam breviter Cyrill SCHÄFER (2005), p. 171; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 170.

Annalista die 31° m. Aug. a. 1930<sup>o</sup> rettulit se a P.re Leandro Bopp audivisse (qui hoc «e fonte seculo» sciret) Conventui Abbatem Coadiutorem rectā formā eligere licuisse, nisi visitatores falsos nuntios perceperissent. Nam aliquem eis de candidato interrogantibus nomen Patris cuiusdam, cui asseciae essent, protulisse (illius nomen non indicatur), qui praeterea in casū electionis suae assensionem iam significavisset. Cum autem neque visitatores neque Roma illum virum accepissent, eos illum modum, quo tria nomina proponerentur, excogitavisse. - Num hoc verum sit, dijudicare nolo, cum sciamus, quid de «fontibus certis» sic dictis sentiendum sit. Certum tamen est visitatores problematis multiplicibus perturbationibusque illo tempore in Archiabbiatā vigentibus Conventui re vera confisi non sunt eundem votum satis unanimum exhibitum esse vel virum aptum electurum esse, ut ex relatione visitationis appareat (cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto

Aliud autem punctum disputandi exortum est ex verbis, quae in scripto Abbatis Simonis inveniebantur, nempe Coadiutorem «Archiabbatis desiderio» institutum iri. Tamen brevi ante electionem Archiabbas Norbertus infinitatus est se suā sponte de aliquo Coadiutore rogavisse neque se existimare regimen Archiabbatiae atque Congregationis non esse sociabiles. Se hanc opinionem proferre quasi coactum fuisse.<sup>26</sup> Tamen talia enuntiata condicionibus datis nemini auxilium tulerunt.

Sed ad electionem faciendam nonnulla adhuc praeparanda erant, nempe imprimis omnibus, quibus ius suffragii erat, causa, dies electionis atque modus progreendi nuntiari debuit.<sup>27</sup> Itaque Prior P. Martinus Malter die 15<sup>o</sup>

---

(7.4.1930), p. 11 (ASA, APr 574).

- 25 Annalista hōc in conexū compluries indicat (ex.gr. 17.6.1930; 17.7.1930 (ASO, A.3.4.4) medio e Conventū saepius Abbatem desideratum esse, qui unā cum benignitate propriā tamen habenas regiminis firmiter teneret. Die 17<sup>o</sup> m. Iun. a. 1930<sup>o</sup> insuper adnotationem maioris momenti praebeuit, quā alia pars condicionis inspiciebatur. Ibīdem leguntur haec: «Agitur in quaestione fundamentali de duabus curis, nempe de pecuniariā, in cuius centro praedium Tragoessianum est, et de disciplinari, in cuius centro nos omnes universi sumus, unusquisque singillatim et ad unum omnes in coniunctione suā praesenti atque in relatione cum Superioribus nostris.» (Textus originaliter Theodiscus). - Haec sententia omnino vera est, cum in problematis exoriundis semper minimum dueae partes sunt participes.
- 26 Cfr Ann. Otti., 16.6.1930 (ASO, A.3.4.4). - Breviter de hac quaestione etiam Cyril SCHÄFER (2005), p. 172. - Interpretatio autem huius contradictionis, quam Annalista die 17<sup>o</sup> m. Iun. a. 1930<sup>o</sup> exhibet, mihi videtur omnino recta esse, cum scribat et Archiabbatem Norbertum et Abbatem Simonem ex positione suā propriā recte dixisse. Nam Archiabbatem Norbertum condicione visitationis visitatoribus urgentibus de Coadiutore rogare debuisse et itaque bonā conscientiā dicere posse se hōc non revera voluisse, alterā ex parte visitatores bonā quōque conscientiā dicere posse eum hōc rogavisse.
- 27 Scitū digna est adnotatio, quam Annalista die 20 m. Iun. a. 1930 subiunxit (ASO, A.3.4.4). Nam P. Dominicus Enshoff vespere ante diem electionis nonnullis Patribus scriptum Latinum a se compositum distribuerat, quo - sic ibi legitur - loco Coadiutoris Administratorem instituendum proposuit. Annalista commentarium addidit hunc: «Postquam teli tactus, ad quem ipse pulverem praeberuerat, missus est, P. Dominicus globo aliam directionem dare conatus est.» - Ex ipso textū P.ris Dominici (ASO, A.3.3.3) apparet eum non generaliter «loco Coadiutoris» Administratorem proposuisse, sed Administratorem esse cogitatum solutionem intermedium, usque dum problemata pecuniaria soluta essent. Causa huius propositi erat in eo, ut hunc in modum onus Coadiutoris futuri minueretur. Haec cogitatio per se non erat mala, sed eādem neglegitur institutionem Coadiutoris non solum cum difficultatibus pecuniariis cohaesisse.
- Facto non respecto hōc propositum revera nimis sero prolatum esse, interrogandum est, num solus Administrator illo temporis momento vere fuerit solutio melior. Bonifatius Sauer in epistulā die 20 m. Iun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) -

m. Iun. a. 1930<sup>o</sup> ad omnes conventionalis, qui modo in Archiabbatia Otteliensi non versabantur, epistulam circularem cum his nuntiis misit.<sup>28</sup> Subprior P. Chrodegangus Hartmann praeterea nuntium in actis diurnis, c.t. «Münchner Kurier» edendum curaverat, quo instans electio Coadiutoris atque eiusdem

---

utrum de hōc propositō aliquid scivisset an non - verisimiliter recte monuit Administratorem esse solutionem peiores, cum suspicandum esset eum ut extraneum plus minusve invito oblatum perceptum iri. Etiam si Abbas episcopus hōc non expressis verbis dixit, talis modus progrediendi verisimiliter paucum ad consolidationem internam attulisset.

28 *Cfr* Martin Malter: Rundbrief, 15.6.1930 (ASO, A.3.3.3). In diario Thomae Spreiter (ASO, A.1.8.1) adnotationibus diei 31 m. Iul. a. 1930 exemplar huius epistulae circularis agglutinatum subiunctum est.

In hac epistulā circulari etiam invenītur sententia haec: «*Quamquam cogitatio, qua regimen Congregationis a regimine Archiabbatiae separaretur, iam in Capitulo generali anni 1921 impulsa atque disputata erat, tamen inexpectatum et inopinatum est eam hōc decretō Sedis Apostolicae ad effectum adduci.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Sed hōc locō videlicet Prior falsam interpretationem praebet. Nam iam ex relatione visitationis apparent hanc separationem munera tantummodo condicionibus praesentibus debitam esse neque in perpetuum valere, quia ibidem legitur «*separationem definitivam horum munera Abbatis Otteliensis atque Praesidis Congregationis hōc temporis momento non esse opportunam*» (textus originaliter Italicus), cum haec quaestio solutioni diurnae nondum esset matura atque de ēadem in proximo Capitulo generali disputandum esset (*cfr* Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 10 (ASA, APr 574)). Etiam si P. Martinus textum huius relationis verisimiliter non novit, tamen ex locutione «*cum iure successionis*» manifesto apparent separationem munera tantummodo tam diu valere, usquedum Archiabbas Norbertus etiam ut Superior generalis resignavit vel aliter a munere discessit et hunc in modum Coadiutor automatice ut Archiabbas atque Superior totius Congregationis ei successit et sic haec duo munera unione personali iterum coniunguntur. Ut videtur, etiam Superiora regionum missionariorum hanc falsam interpretationem non animadverterunt, cum Bonifatius Sauer in epistulā die 20 m. Iun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) stricte contra separationem horum duorum munera verba protulit et hanc opinionem in epistulā die 29 m. Oct. a. 1930 ad Abbatem Primatem datā (ASA, APr 585) iteravit, cum existimaret hunc in modum Congregationem cum officio suo missionario deletum iri. Se hac in quaestione cum Thoma Spreiter atque cum Gallo Steiger unanimiter sentire scit. Revera etiam Thomas Spreiter in epistulā suā die 30 m. Sept. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 595) sententiam suam simili modo protulit. Godfrey SIEBER (1992), p. 137; Godfrey SIEBER (2016), p. 116 putat institutionem Coadiutoris, dum regimen Congregationis apud Archiabbatem Norbertum manet, occasionem fuisse, qua probari posset, num esset bona cogitatio munera Abbatis Otteliensis atque Superioris generalis separandi. Sed haec cogitatio illo tempore nemini, qui responsalis erat, in mentem vēnerat et munera separatio ad tempus tantummodo condicioni difficulti debita erat.

causa indicabantur.<sup>29</sup> Tamen hic textus erat vere euphemisticus neque cum ipsis factis prorsus congruit,<sup>30</sup> sed verisimiliter erat conamen ad damna in conspectū publico minoranda.

Die 17<sup>o</sup> m. Jun. a. 1930<sup>o</sup> deinde, ut praedispositum erat, Abbe Simone Landersdorfer praesidente electio Coadiutoris secundum modum constitutum locum habuit.<sup>31</sup> Hōc factō tunc schedulae electoriae tria proposita nominum continentēs<sup>32</sup> in involucrum concludebantur et unā cum protocollo<sup>33</sup> inter

---

29 Thomas SPREITER: Tagebuch, 31.7.1931 (ASO, A.1.8.1) textum huius notitiae in actis diurnis divulgatae affert, qui ex Archiabbiatā Ottiliensi ei missus erat. Ibīdem leguntur haec: «*Transformatio organizationis in Congregatione Ottiliensi. Viginti septem annis, ex quibus Archiabbas Dr Norbertus Weber Abbatiam Ottiliensem regit et insimul totam Congregationem dicit, non solum monasterium Ottiliense in unum ex maximis monasteriis Benedictinis crevit, sed etiam regiones missionariae Congregationi traditae modo praeclarissimo excultaes sunt. Sic fit, ut tandem mutatio iam pridem prae cogitata quoad organizationem Congregationis suscipienda est. Illa duo munera Superioris Congregationis et Superioris Archiabbiatiae Ottiliensis in manū unius soli viri coniuncta interea vires humanas superant. Itaque nunc Sede Apostolicā consentiente separatio horum munerum ad effectum adducatur. Regimen Congregationis prior Archiabbas tenebit, cum ei in monasterio Ottiliensi ducendo Abbas-Coadiutor auxilio adiungitur. Electio illius Coadiutoris, ut auditur, mox fiet. Exoriatur missione ex hoc novo ordine benedictio magna.*» (Textus originaliter Theodiscus).

Hic textus praeter alia suggerit hanc separationem munerum in perpetuum institutam esse. Quod verae causae totius rei hic non exhibentur, tamen non est mirandum.

30 Annalista (Ann. Otti., 16.6.1930 (ASO, A.3.4.4)) hac explicatione publico destinatā non erat contentus, cum veritatem dicere commendaret. Adnotavit «*omnino nihil prodesse mundum decipere velle, qui propter verba intemperata ex parte nostrā prolata tamen semper plura scivit quam maioritas ipsius Conventūs.*»

31 *Cfr* Ann. Otti., 17.6.1930 (ASO, A.3.4.4). - Ad hanc rem Cyril SCHÄFER (2005), p. 172 sq.; breviter etiam Leander BOPP (1952), p. 62 (ASO, D II); Frumentius RENNER: Norbert Weber. *In:* Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 344; Frumentius RENNER: Entfaltung. *In:* Leuchter 2 (1992), p. 40; Godfrey SIEBER (1992), p. 136; Godfrey SIEBER (2016), p. 116; Hartmut MADL (1999), p. 252; Cyril SCHÄFER: Benediktinische Kongregationen. *In:* Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 765; Cyril SCHÄFER: St. Ottilien. *In:* Germania Benedictina 2 (2014), p. 1999; Angelika SCHUSTER-FOX: «*Dominus providebit.*» *In:* Rhaeten-Herold 61/552, 2011, p. 4; Johannes MAHR: Norbert Weber. *In:* Godfrey SIEBER / Cyril SCHÄFER (edd.) (2003), p. 170, qui quidem progrediendi modum Conventui explicatum, sed non diem electionis Coadiutoris commemorat.

32 Godfrey SIEBER (2016), p. 116 scribit sodales Conventūs ex indice trium nominum, quem visitatores composuerint, eligere potuisse. Hac sententiā videlicet agitur de errore quodam.

33 In protocollo (ASO, A.3.3.3) etiam illi nominatim indicantur, qui procuratorem suffragii instituerant, et illi, quibus suffragium suum tradiderant. Praeterea nominum index exhibetur illorum, qui nullum procuratorem elegerant et hunc in modum hac in electione ius

sessionem scripto Romam transportatae sunt, ubi numerabantur. Eventus huius enumerationis erat in eo, quod P. Chrysostomus Schmid a conventionalibus magnā maiortate nominatus erat Coadiutor.<sup>34</sup> Eventus septuaginta sex suffragiorum erat significans, cum insuper duodesexaginta suffragia prima ei attributa sunt.

Visitatores certe gavisi sunt illum candidatum, quem praetulerunt, etiam, ut apparuit, a Conventū exoptatum esse. Effectus suffragiorum tamen a Congregatione Religiosorum et a papa approbandus erat, quā de causā Fidelis von Stotzingen scriptum exaravit hōc:<sup>35</sup>

«*Beatissime Pater,*

*Abbas Primas O.S.B., Delegatus Apostolicus Congregationis Ottiensis, ad pedes S.V. humiliter provolutus, exponit quod Capitulares Archiabbatiae Ottiensis iuxta litteras Sacrae Congregationis de Religiosis diei 26 maii 1930, coadunati sunt die 17 junii 1930 ad eligendum Abbatem coadiutorem, qui cum iure futurae successionis in temporalibus et spiritualibus Archiabbatiam regeret.*

---

suum suffragii amiserant.

34 *Cfr* Risulto della votazione (ASA, APr 678). - Hōc in documento etiam singuli numeri indicantur. Inde apparet in summā 117 monachis ius suffragii fuisse. Ex iis 21 nullum procuratorem nominaverant (fortasse invitationem ad electionem nimis sero acceperant), duo suā sponte nullum procuratorem voluerunt et P.r. Ludgero Breindl illo tempore ut pars poenae nullum ius suffragii erat. Restabant ergo 93 monachi suffragiorum participantes, ex quibus sex schedulam vacuam tradiderant. Itaque erant 87 suffragia valida. - In Ann. Otti., 17.6.1930 (ASO, A.3.4.4) indicatur 77 conventuales ad electionem ipsos apparuisse, quorum praesentiā votis procuratorum inclusis 93 suffragia ferentes evenerunt. Reliqua Annalista scire non potuit.

Scitū digna est distributio suffragiorum, quae e «Risulto della votazione» manifestatur: Chrysostomus Schmid 76 vota acceperat, Conradus Rapp 59, Benno Heckel 33, Chrodegangus Hartmann 28, Theodorus Breher 10 et Notkerus Mannhart 8. Praeterea nonnulla nomina enumerantur, quibus quinque aut pauciora suffragia data sunt. Singuli autem numeri suffragiorum compositi sunt et ex suffragiis primis et ex suffragiis secundis tertiusque.

Cyrill SCHÄFER (2005), p. 173 etiam suffragiorum numeros illorum indicat, qui in primis tribus locis ponebantur. Sed hōc locō mendum typographicum irrepsit, cum apud P.rem Conradum Rapp 39 suffragia exhiberet, sed 59 fuissent.

35 Fidelis von Stotzingen scriptum ad Congregationem Religiosorum papamque directum (ASA, APr 578; ASO, A.3.3.3).

Quadamtenus in errorem inducens hōc in documentō est indicium, quod est «*76 suffragiis ex 87 electus*», cum eōdem non appareat non solum de nominationibus primariis agi.

*Itaque omnibus rite peractis 76 suffragiis ex 87 electus est R.P. Chrysostomus Schmid, in praesens Prior Abbatiae de Tokwon, Provicarium Apostolicum de Wonsan.*

*Quare orator una cum capitularibus S.V. enixe rogat, ut praedictam electionem sua benignitate confirmare dignetur.»*

Voto suo subiuncto Abbas Primas praeterea nonnulla de biographiā P.ris Chrysostomi, de eius meritis deque eius habitū monastico explicuit. Insuper suasit, ut P.r.i Chrysostomo necessitas assensionis dilucide exponeretur argu-  
mento, quo votum expressis verbis prolatum Sanctae Sedis atque maioritatis Conventūs demonstraretur.<sup>36</sup> Assensio papae Pii XI deinde die 25° m. Iun. a. 1930° secuta est.

Itaque Fidelis von Stotzingen telegraphema ad Abbatem episcopum Bonifa-  
tium Sauer mittere potuit, quo ei nuntiavit P.rem Chrysostomum Schmid<sup>37</sup> institutum esse Coadiutorem. Officium Abbatis episcopi Bonifatii tunc in eo erat, ut P.rem Chrysostomum - si necessarium esset - commoveret, ut electio-  
nem acceptaret, et scilicet etiam in eo, ut ipse Priorem suum dimitteret. Abbatis Primatis telegraphema die 30° m. Iun. a. 1930° etiam ipse P. Chrysostomus accepit, quo certior factus est se maioritate suffragiorum electum esse et quo rogatus est, ut electionem acciperet atque quam primum

---

36 Cfr Fidelis von Stotzingen: Votum, 22.6.1930 (ASA, APr 578).

37 P. Chrysostomus Schmid natus die 3° m. Febr. a. 1883° in loco Westendorf in dioecesi Augustanā sito, postquam in monasterium Ottiliense intravit die 2° m. Oct. a. 1904° vota sua protulit. Studia sua peregit in Athenaeo philosophico Ottiliensi atque Romae in Collegio Benedictino Sancti Anselmi, ubi die 29° m. Iun. a. 1908° gradum Doctoris philosophiae sibi acquisivit. Postquam in Germaniam revertit, die 26° m. Jul. a. 1908° sacerdotio auctus est. In Abbatia Ottiliensi P. Chrysostomus deinde in monasterii Atheneao philosophico-theologico cooperatus est, post primum bellum mundanum, quod participavit munere sanitarii fungens, Archiabbatiae Prior atque magister novitiorum redditus est. Die 28° m. Febr. a. 1922° in regionem missionariam Coreanam emissus est. Anno 1926° Abbas episcopus Bonifatius Sauer ei tradidit Prioris munus monasterii Coreani et eum vicegerentem Vicarii Apostolici reddidit. Anno 1930° Chrysostomus Schmid in Germaniam revertit, ut munus Abbatis Coadiutoris susciperet. Ipse die 15° m. Maii a. 1957° a munere Archiabbatis se abdicavit et die 28° m. Sept. a. 1962° in Archiabbatia Ottiliensi vitā functus est. - Cfr Necrologium 2015, nr 0635, p. 68; ASO, A.1.1 (PA Schmid); Egon GUGGEMOS: Dr. P. Chrysostomus Schmid OSB. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, pp. 336 sqq.

in Germaniam veniret.<sup>38</sup>

Quamquam Abbas episcopus iam erat praeparatus hunc eventum accidere posse, tamen grave ei erat, quod optimum cooperatorem suum amisit, quem iam successorem suum fore destinaverat et cuius discessus magnum detrimentum Abbatiae atque regionis missionariae erat.<sup>39</sup> Nihilominus sorti suae cessit, cum necessitatem pro Archiabbatia atque Congregatione intellexit et praeterea P.rem Chrysostomum virum aptum ad hoc munus exanclandum esse existimavit.<sup>40</sup>

P. Chrysostomus ipse nuntio inopinato se Coadiutorem institutum esse vehementer percussus erat.<sup>41</sup> Animo enim intenderat usque ad finem vitae in Coreā manere et ibidem missione se tradere. Hanc vehementem commotionem internam Prioris sui etiam Abbas episcopus Bonifatius compluries descripsit, cum referret P.rem Chrysostomum iterum iterumque lacrimas supprimere coactum fuisse et eum insuper impetu cardiacō affectum fuisse, quā de causā medicus advocandus erat.<sup>42</sup> Quamquam itaque ille gressus revera erat gravis, P. Chrysostomus non est cunctatus, quā de causā statim assensus est, cum hanc electionem esse voluntatem Dei existimaret.<sup>43</sup> Tamen confes-

---

38 Chrysostomus Schmid: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) ipsa verba telegraphematis affert: «*Paene unanimiter propositus. Papa te Coadiutorem reddit. Mitte acceptationem. Venias quam primum.*» - Verba originaliter Anglica.

39 Exempli gratiā in epistulis suis die 26 m. Jun. a. 1930 et die 5 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen datis (ASA, APr 578) Bonifatius Sauer quaedam de hac re protulit. - *Cfr* etiam breviter Cyrill SCHÄFER (2005), p. 173; Johannes MAHR (2009) 2, p. 53.

40 In epistulā die 20 m. Jun. a. 1926 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 578) Bonifatius Sauer scripsit haec: «*Quin eum huic muneri optime parem esse, non extare potest dubium. Causa Tragoessiana, haec est persuasio mea firma, ei crux gravis manebit, quae fortasse eum supervivet. Sed quoad res monasticas ordinem instituet. Hac in re nullum timorem hominum novit, etiam prudentia necessaria ei est et ipse scientiā suā atque virtute propriā atque diligentia admirationem initit.*» (Textus originaliter Theodiscus).

41 Chrysostomus Schmid in epistulā die 3 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) scripsit telegraphemate se «*valde afflictum*» fuisse.

42 *Cfr* epistula Bonifatii Sauer die 5 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578). De impetu cardiaco Bonifatius Sauer in epistulā die 20 m. Iul. a. 1930 ad Thomam Spreiter directā scripsit, quam ille in diario suo affert (28.8.1930 (ASO, A.1.8.1)). Medicum in initio apoplexiā esse suspicatus erat, ut Bonifatius Sauer adnotaverat.

43 *Cfr* epistula Chrysostomi Schmid die 3 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578). - Etiam Bonifatius Sauer asseveravit Priorem suum statim assensum esse, quamquam idem «*letaliter*» territum fuisse (*cfr* epistula Bonifatii Sauer die 5 m. Iul. a.

sus est esse «assensionem ad crucem suciendam, cuius pondus atque acerbitatem nunc demum paulatim percipio». <sup>44</sup> P. Chrysostomus Schmid



*P. Chrysostomus Schmid (in medio) cum Christianis Coreanis  
ante profectionem suam.*

ergo inani spei se omnino non dedit de difficultate officii, quod eum exspectavit. Tamen ea, quae venerunt, eo peiora erant quam providerat. P. Chrysostomus igitur die 11° m. Iul. a. 1930° corde gravato e Coreā profectus



*P. Chrysostomus (in medio) e Corea proficiscens  
(a dextris Abbas episcopus Bonifatius Sauer).*

---

1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578); epistula Bonifatii Sauer die 20 m. Iul. a. 1930 ad Thomam Spreiter directa, allata secundum diarium Thomae Spreiter, 28.8.1930 (ASO, A.1.8.1)).

44 Epistula Chrysostomi Schmid die 3 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578). - Textus originaliter Theodiscus).

est,<sup>45</sup> ut in Germaniam se conferret.

In Abbatia Otteliensi interea apud Patres Fratresque adhuc intentio interna vigebat, quod attinebat ad quaestionem, quomodo res Coadiutoris electi atque instituendi evenirent. Sed praeterea sicuti aliis temporibus in labores cottidianos incumbendum erat. Archiabbas Norbertus totā condicione valde onerabatur, quamquam conatus est efficere, ne extrinsecus quicquam animadverteretur, et etiam in consiliis atque mandatis suis ita egit, tamquam proximis septimanis nullam mutationem condicionum priorum instaret.<sup>46</sup> Erga Abbatem Primatem nihilominus pessimismum suum illo tempore valentem verbis expressit. Propter aliquem Coadiutorem instituendum reactiones e Vindobona timebat, id est ab Eugenio von Stirling,<sup>47</sup> et generaliter iam interiū Archiabatiae praevidit scribens haec:<sup>48</sup> «*Effectus in quaestionem Tragoessianam fieri potest perniciosus. En ergo: tunc Archiabatia Otteliensis fuerat.*» et «*Tantummodo sperare possum me nimis desperate in tempus futurum esse spectaturum. Sed nunc magis quam umquam collapsum timeo.*»

Quamquam monachi adhuc intranquilli erant, quia nondum sciverunt, quis tunc revera Coadiutor futurus esset, et quamquam Archiabbas defatigatus atque pessimismo correptus erat, tamen in problema Tragoessianum magis

---


45 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.) (1973), p. 105; Johannes MAHR (2009) 2, p. 149 de mense Julio a. 1930 scribit exactum terminum non indicans.

46 Sic Annalista quoque condicionem die 11 m. Iul. a. 1930 descriptis (ASO, A.3.4.4). - Tamen contentio in ipso conspicua fuisse videtur. Thomas SPREITER: Tagebuch, 14.6.1930 (ASO, A.1.8.1) adnotavit se epistulam sororis suae accepisse, quae scripsit se in Archiabatia Otteliensi fuisse et Archiabatem Norbertum tantopere inveteravisse, ut aspectum viri octogenarii praeberet. - Norbertus Weber ipse die 27 m. Jun. a. 1930 erga Fidelem von Stotzingen (ASA, APr 578) protulit haec: «*Ipse ad fines virium mearum perveni; in monasterio hōc parum animadverti volo, sed mihi persuasum est rem non iam diu hunc in modum continuari.*» (Textus originaliter Theodiscus).

47 Cfr epistula Norberti Weber die 12 m. Jun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). - Notatū autem dignum est, quales timores propter reactiones Eugenii von Stirling Archiabbas Norbertus coluerit et quale ius ei sic attribuerit, quo in progressum internum Archiabatiae se immiseret, qui omnino non ad eum pertinebat. Eugenio von Stirling mutationes instantes displicuisse tamen imaginari possumus, cum non esset exspectandum Coadiutorem futurum in eandem dependentiam de fratribus Striling perventurum esse ac Archiabatem Norbertum.

48 Epistula Norberti Weber die 27 m. Jun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Textus originaliter Theodiscus.

magisque urgens solvendum incumbere pergendum erat. Die 5<sup>o</sup> m. Iun. a. 1930<sup>o</sup> etiam P. Optatus Pfäfflin<sup>49</sup> ex oppido Meschethis in Archiabbatiam Ottiliensem advēnit, qui secundum decretum Abbatis Primatis P.rem Aloisium Seibert in laboribus Vindobonae exanclandis adiuvaret. Brevi post adventum suum Monaci cum Abbe Simone Landersdorfer convēnit, qui eum quoad decreta commissionis pecuniariae instrueret, quae officia futura ei essent Vindobonae.<sup>50</sup> Sed Abbas Simon explicationes non omnino claras protulisse videtur, tamen significavit P.rem Optatum ut genus quoddam tabularii in officina Reichraminger operari debe-re. Ut haec mandata ad errores vitandos scripto modo acciperet et imprimis ut declararet se ut sodalis alicuius Ordinis religiosi non esse posse tabularius in aliqua officina saeculari, P. Optatus se convertit ad ipsum Abbatem Primatem praesidem commissionis pecuniariae, qui eius dubitationes agnovit.<sup>51</sup> P. Optatus igitur ad novum officium suscipiendum paratus erat,<sup>52</sup> sed Vindobonam emitti adhuc



*P. Optatus Pfäfflin.*

49 P. Optatus Pfäfflin, natus die 26<sup>o</sup> m. Iun. a. 1891<sup>o</sup> Stutgardiae, urbe in dioecesi Rottenburgensi sitā, die 4<sup>o</sup> m. Iul. a. 1922<sup>o</sup> vota sua protulit in Archiabbiatā Ottiliensi. Antequam monasterium intrat, eruditionem mercatoriam absolverat atque ut assistens in aliqua officina regenda operatus erat. Studiis theologicis finitis Optatus Pfäfflin die 3<sup>o</sup> m. Apr. a. 1927<sup>o</sup> sacerdotio auctus est. Inter annos 1928<sup>um</sup> et 1930<sup>um</sup> in monasterio Meschethis recenter condito instituendo cooperatus est, priusquam anno 1930<sup>o</sup> Vindobonam atque ad praedium Tragoessianum mittitur, ubi usque in annum 1938<sup>um</sup> mansit. P. Optatus Pfäfflin die 21<sup>o</sup> m. Iun. a. 1977<sup>o</sup> in Archiabbiatā Ottiliensi vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0893, p. 89; ASO, A.1.1 (PA Pfäfflin).

50 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: *Rund um Tragöss* (18.6.1956), p. 8 (ASO, A.4.2).

51 Optatus PFÄFFLIN: *Rund um Tragöss* (18.6.1956), p. 8 (ASO, A.4.2) existimavit hunc laborem tabularii in officina Reichraminger fuisse quadamtenus muscipula a P.re Aloisio Seibert - etiamsi fortasse inscienter - posita, quam fratres Stirling sibi excogitaverant, cum observationem veram nollent. Verisimiliter P. Optatus hac suspicione recte dixit.

52 Ad hoc munus interea se praeparavit acta officinae Reichraminger perscrutans, quae a P.re Aloisio sibi danda curaverat. Scitū digna est eius existimatio, quā in his contractibus ageretur de conventionibus, quae rescindi non possent et contra quas modo processuali progredi non esset efficax. - *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: *Rund um Tragöss* (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2). De rebus singularibus contractuum Reichraminger *cfr* cap. 14.1.

exspectare debuit.<sup>53</sup>

Sed etiam Archiabbas Norbertus in rebus Tragoessianis adhuc erat in actū. Itaque die 7<sup>o</sup> m. Iul. unā cum P.re Aloisio Seibert Vindobonam vectus est,<sup>54</sup> ut praeter alia ipse licentiam lignorum caedendorum acquirendam curaret. Putavit enim se colloquiis propriis cum repraesentantibus magistratum pertinientium et cum locis ecclesiasticis hac in re aliquid efficere valere. Haec exspectatio tamen denique in irritum cecidit. Sed ad hanc commemorationem Vindobonensem P.rem Optatum secum non sumpsit. Post redditum autem suum Archiabbas Norbertus cum P.re Optato colloquium instituit, quo eum de rebus Tragoessianis certiorem fecit.<sup>55</sup> Verum conspectum de condicionibus intricatis ei verisimiliter praebere non valuit, cum ipse scientiam profundam hac in re non haberet. «Mandatum» autem maximi momenti, quod P.r Optato datum est, erat fratres Stirling esse «vindices maximis in angustiis» et eos tangere non licere. Praeterea Archiabbas Norbertus illō in colloquiō significavisse videtur fratribus Striling propter postulata ex contractibus pendenda iam satisfactum esse. Hāc sententiā in P.re Optato quaedam suspicione de factis iam sunt exortae. Aestimatio, quae Archiabbi Norberto de fratribus Stirling erat, interea igitur nullo modo mutata erat.

Die 17<sup>o</sup> m. Iul. a. 1930<sup>o</sup> monachi Ottilienses incertitudine propter Coadiutorem futurum liberati sunt. Nam Prior P. Martinus Malter Patres certiores fecit P.rem Chrysostomum Schmid a papa Coadiutorem esse redditum, id quod P. Chrysosotomus epistulā ad ipsum directā nuntiavisset.<sup>56</sup> Hic nuntius et spe quadam et curā quādam receptus est, quia nesciebatur, quid exacte a novo Coadiutore exspectandum esset. Cum haec informatio a Priore prolata illo temporis momento tantummodo esset nuntius non officialis, proclamatio

---

53 Archiabbas Norbertus, cuius officium haec emissio fuisse, eandem aliquatenus retardandam tractavit. Suspicio esse potest eum hōc consulto fecisse, quia ipse quōque hanc custodiā fratrū Stiling noluerat.

54 *Cfr* Ann. Ottil., 11.7.1930; 14.7.1930 (ASO, A.3.4.4).

55 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2), quo loco de hōc colloquiō rettulit.

56 *Cfr* Ann. Ottil., 17.7.1930 (ASO, A.3.4.4). - Quod P. Chrysostomus a Sanctā Sede institutus erat Coadiutor, Annalistam ad deliberationem adduxit Ottiliana proposita in electione prolata Romae tamen esse respecta, et itaque ad quaestionem, cur Conventui non statim libere eligere licuisset, sed īdem illō progrediendi modo «*toto mundo*» expositus esset. - Hōc in conexū tamen quaestio hypothetica poni potest, quid ex parte Abbatis Primatis atque Congregationis Religiosorum factum esset, si Conventūs electio propositis facta aliter evenisset.

officialis breviter dilata est, usque dum permissio Archiabbatis accipiebatur. Haec autem deinde satis celeriter allata est.<sup>57</sup>

Die 28<sup>o</sup> m. Iul. a. 1930<sup>o</sup> P. Chrysostomus in Archiabatiam Ottiliensem advēnit.<sup>58</sup> Archiabbas Norbertus ipse Coadiutorem e Monaco advenientem in statione ferriviaria Geltendorfensi recepit, ut eum ad officiale exceptionem in Archiabatia faciendam comitaretur. Omnibus erat scaena vere commo-vens, cum Archiabbas Norbertus monachis praesentibus Coadiutorem salvere iussit atque ei tradidit «*filios meos spiritales rogans, ut eos vias ad Deum et ad pacem duceret*»<sup>59</sup> atque Chrysostomus Schmid conspicue commotus breviter ad haec verba respondit.<sup>60</sup>

Haec scaena in Annalibus descripta videtur fuisse harmoniae plena. Sed condicio non erat omnino talis. Nam immediate ante adventum Chrysostomi Schmid nonnulli Patres monasterium propter regimen novum - ut dixerunt - reliquerant et ad brevius vel longius spatium temporis commeatum sibi

---

57 Textus, cui titulus est «*Dr. P. Chrysostomus Schmid O.S.B. Abtcoadjutor von St. Ottilien*», in «paginis missionariis» divulgandus conscriptus est, antequam P. Chrysostomus in Germaniam pervenit. *Cfr* Mbl 34, 1930, p. 225.

58 *Cfr* Chron. Ottil., medio Iun. / fin. Aug. 1930; Ann. Ottil., 28.7.1930 (ASO, A.3.3.4); Thomas SPREITER: Tagebuch, 28.8.1930 (ASO, A.1.8.1); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Leander Bopp (1952), p. 62 (ASO, D II). Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 40 de fine mensis Iulii scribit; Godfrey SIEBER (2016), p. 116 indicat tantummodo generaliter mensem Iulium; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 173 dicit fuisse in initio mensis Augusti. Chrysostomo Schmid in animo quidem fuerat propter iubilaea sacredotum monachorumque professorum celebranda demum Kalendis Augustis e Monaco veniens ad Archiabatiam vehi (*cfr* epistula Chrysostomi Schmid die 28 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578); Ann. Ottil., 28.7.1930 (ASO, A.3.4.4)), sed Archiabbas Norbertus Priorem P.rem Martinum Malter Monacum miserat, ut Coadiutorem iam in diem 28<sup>um</sup> m. Iul. ad Archiabatiam comitaretur.

59 Annalista hanc brevem allocutionem adnotavit (*cfr* Ann. Ottil., 28.7.1930 (ASO, A.3.4.4)).

60 Eodem die «*Testimonium*» officiale compositum est, quo dicebatur Abbati Coadiutori ab Archiabate Norberto munus traditum esse et eundem hunc in modum iura sua suscipere (ASO, A.3.3.3). Textus autem est hic: «*Die 28 Julii 1930 Rms Chrysostomus Schmid OSB Abbas-Coadjutor Archiabatiae SS. Cordis Iesu ad St. Ottiliam, qui in electione habita die 17. Junii propositus a S. Sede die 25. Junii confirmatus est in Abbatem Coadjutorem, accepto et perfecto decreto advenit ad praedictam Archiabatiam et Amplissimo et Rmo Archiabate Norberto Weber OSB tradente officii sui possessionem accepit.*» (Textus originaliter Latinus). Ut testes subscriperunt Archiabbas Norbertus Weber, Prior P. Martinus Malter, P. Hugo Reinhart et P. Innocentius Riedle.

dandum curaverant sive revera e monasterio dimitti voluerunt.<sup>61</sup> Etiam Chrysostomus Schmid, ut rettulit, post adventum suum percepit non omnes de existentia alicuius Coadiutoris gavisos esse.<sup>62</sup> Alterā ex parte etiam multi monachi erant, qui praesentiam novi Abbatis inter omnes preces horarum atque omnibus aliis condicionibus et eius adversio personalis in opificinis monasterialibus atque conclavebus aegrotorum maxime aestimaverunt.<sup>63</sup>

Abbas Chrysostomus nihilominus statim in difficultates quoque pecuniarias Archiabbatiae atque in Tragoessianum problema urgentissimum incumbere coactus est. Ut eum de totā condicione singillatim certiorem faceret, Abbas Primas eum Schiram vocavit.<sup>64</sup> Ibīdem die 4<sup>o</sup> m. Aug. a. 1930<sup>o</sup> sessionem cum Abbe Primate Fideli von Stotzingen atque Abbe Simone Landersdorfer locum habuit, quā Abbas Chrysostomus totam magnitudinem calamitatis comperit, de quā usque ad illus temporis momentum nihil certum sciverat.<sup>65</sup>

---

61 Hi erant P. Erhardus Drinkwelder bibliothecarius cantorque, P. Lucas Herz, usque tunc secretarius Archiabbatis, P. Maximilianus Freist cellararius primus (*cfr* Ann. Ottil., 28.7.1930 (ASO, A.3.4.4)). Mense Iuanuario a. 1931<sup>o</sup> nuntiatum est P.rem Andream Eckardt ad unum annum atque P.rem Maximilianum Freist ad duos annos excommunicationem accepisse et Fr.em cl.um Urbanum Schottendorf saecularizatum esse (*cfr* Ann. Ottil., 13.1.1931 (ASO, A.3.4.4)). Thomas Spreiter tale factum breviter commemoravit in epistulā suā die 15 m. Iul. a. 1930 ad Gallum Steiger directā (ASO, Z.3.0.1.17). Thomas SPREITER: Tagebuch, 12.2.1931 (ASO, A.1.8.1) talibus actibus commentarius subiunxit hunc: «*Ignomina est! Tantummodo Patres, qui theologiae studuerunt, qui benedictione sacerdotali Spiritum Sanctum acceperunt, vota proiciunt.*» (Textus originaliter Theodiscus).

De Patribus monasterium relinquentes etiam breviter Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey Sieber / Cyrill Schäfer (edd.) (2003), p. 171, qui tamen nomina non indicat.

62 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1), qui rettulit se interrogatum esse, quid vellet, et ipsi etiam dictum esse Coadiutore instituto Ordini nocere atque speciatim ipso Coadiutore Archiabbatiae Ottiliensis instructo hōc temporis momentō problematum auctoritatem monasterii graviter laedi. - Talis se gerendi modus scilicet neque erat affabilis neque rationalis, cum Chrysostomus Schmid de totā condicione vigente nullo modo esset responsalis.

63 *Cfr* Ann. Ottil., 30.7.1930 (ASO, A.3.4.4).

64 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 173 sq. scribit Chrysostomum Schmid statim, postquam in Germaniam advēnit, ex urbe Monaco ad hanc consultationem Schiram vectum esse et denique deinde in Archiabbatiam Ottiliensem. Sed hōc cum fontibus non congruit.

65 *Cfr* Ann. Ottil., 5.8.1930 (ASO, A.3.4.4), ubi legitur Abbatem Chrysostomum die 2<sup>o</sup> m. Aug. a. 1930<sup>o</sup> ad consultationes habendas Schiram profectum esse; Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), pp. 2 sq. (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). - De hōc themate etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 173 sq.

Secundum ea, quae ipse protulit, de illis rebus, quas audivit, ex imo affectus erat et Archiabbatiae collapsum pecuniarium timuit.

Immediate post has consultationes die 7<sup>o</sup> m. Aug. a. 1930<sup>o</sup> Monaci in Collegio Ottiliensi sessio commissionis pecuniariae instituebatur, quam praeter alios Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, Abbas Simon Landersdorfer, Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Placidus Vogel, Abbas Coelestinus Maier, Abbas Coadiutor Chrysostomus Schmid, P. Optatus Pfäfflin et ut repreäsentantes Conventū Ottiliensis P. Chrodegangus Hartmann atque cellararius secundus P. Hartvigus Bachmeier participaverunt.<sup>66</sup>

Iam ante initium sessionis P. Optatus Abbatii Primati, cum esset praesidens commissionis pecuniariae, rettulit de colloquio suo cum Archiabbate Norberto habito et de metū suo, ne in commemoratā satisfactione fratribus Stirling datā de actiis officinae Reichraminger ageretur.<sup>67</sup> Eā de causā Fidelis von Stotzingen adductus erat, ut inter hanc sessionem sermonem faceret de actiis officinae Reichraminger. Bis Archiabbatem Norbertum interrogavit, num illae actiae in eius possessione essent, et bis responsum affirmativum accepit.<sup>68</sup> Ceterum hac in sessione commissionis pecuniariae nihil maioris momenti provēnit, praeter mandatum, quo Abbas Coelestinus Maier, cum condicione adhuc non essent perspicuae, rogatus est, ut ad praedium Tragoessianum atque Vindobonam veheretur, ut ibīdem circumspiceret.<sup>69</sup>

Quamquam tot problemata exstabant, tamen eventus magni momenti agendum erat, nempe abbatialis benedictio Chrysostomi Schmid. Voto verbis expresso Chrysostomi Schmid haec sollemnitas omni tranquillitate, in minimo circulo atque quam simplicissime peragenda erat.<sup>70</sup> Eius causae inveniebantur in

---

66 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), pp. 3 sq. (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2). In Annalibus, 5.8.1930 (ASO, A.3.4.4) adnotatur loco P.ris Maximiliani Freist, pristini cellararii primi, qui commeatum sibi dandum curaverat, P.rem Chrodegangum Hartmann ut repreäsentantem cum iure suffragii et P.rem Hartvigum Bachmeier, cellararium secundum ut repreäsentantem cum voto consultatorio electos esse.

67 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2). Hōc in conexū P. Optatus praeterea subiunxit se propter suam magnam aestimationem Archiabbatis Norberti cognitiones suas non libenter Abbatii Primati tradidisse.

68 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1)

69 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2).

70 Hoc votum Chrysostomus Schmid iam protulerat in epistulā suā die 28 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASA, APr 578). Apud ipsum certe aures apertas invēnit.

respectū erga Archiabbatem Norbertum et in condicione generali Archiabbatiae Ottiliensis, quā magna festa revera non erant convenientia. Dies benedictionis abbatialis in diem 10<sup>um</sup> m. Aug. a. 1930<sup>o</sup> constitutus est.<sup>71</sup>



*Abbatialis benedictio Abbatis Chrysostomi Schmid.*


*In serie primā sedentes (a sinistris): Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Chrysostomus Schmid, episcopus suffraganus Iohannes Baptista Schauer, Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, Abbas Placidus Glogger.*

*In serie secundā stantes (a sinistris): Abbas Coelstinus Maier, Abbas Simon Landersdorfer, Abbas Placidus Vogel.*


Ipsam benedictionem abbatialem praebuit Monacensis episcopus suffraganus Iohannes Baptista Schauer et ut assistentibus functi sunt Abbas Placidus Glogger Augustanus atque Abbas Placidus Vogel Suarzacensis. Praeterea participaverunt Archiabbas Norbertus, Abbas Coelestinus Maier Swikkers-perchiensis, Abbas Primas Fidelis von Stotzingen atque Abbas Simon Landersdorfer Schirensis.<sup>72</sup> Alii hospites non aderant et etiam acta diurna de die benedictionis certiora non sunt facta.

71 Cfr Ann. Ottil., 9.8.1930; 10.8.1930 (ASO, A.3.4.4); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 345; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 40; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 174; Godfrey SIEBER (2016), p. 116.

72 Cfr Chron. Ottil., medio Iun. / fin. Aug. 1930; Ann. Ottil., 9.8.1930; 10.8.1930 (ASO, A.3.4.4). - De sollemnitate benedictionis abbatialis etiam breviter Cyrill SCHÄFER (2005), p. 174.



Abbas Chrysostomus Schmid.



Abbatiale insigne Chrysostomi Schmid.

Monachi Ottilienses illos dies sensibus mixtis viderunt atque benedictionem abbatialem ut diem laetum atque insimul tristem percepérunt, cum unā ex parte reverentiam erga novum Abbatem senserunt et speraverunt fore, ut stabilitas quaedam exoriretur atque condicio generalis melioraretur, alterā ex parte misericordia eis erat cum Abate Norberto, quem tamen dilexerunt et cui tot annis peractis regimen Archiabbatiae deponendum erat.<sup>73</sup> Abbas Chrysostomus etiam dictum abbatiale vere aptum sibi exquisivit, quod erat «*Christo confixus cruci*».<sup>74</sup> Manifestatur haec sententia quoque insigni abbatiali, quo bis clavi crucis (nigri in area albā) et bis crux insignis Archiabbatiae (alba in

---

73 Hunc sensuum statum monachorum Annalista fusius descripsit (*cfr* Ann. Ottil., 9.8.1930 (ASO, A.3.4.4)).

74 Haec sententia deprompta est ex epistulā ad Galatos directa 2,19/20: «*ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci; vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.*»

In epistulā suā die 3 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) Chrysostomus Schmid iam scripsit «*Christo confixus sum cruci*» demonstrans, quomodo hac condicione se sentiret.



*Archiabbas Norbertus Weber anno 1930<sup>o</sup> in Monacensi Collegio Ottiliensi.*

areā rubrā) monstrantur.<sup>75</sup>

Uno die post, id est die 11<sup>o</sup> m. Aug. a. 1930<sup>o</sup>, officialis missa valedictoria Archiabboti Norberto destinata est celebrata<sup>76</sup> et deinde ipse Archiabbatiam Ottiliensem reliquit.<sup>77</sup> Primo ad breve spatum temporis se contulit Tutzin-gam, ubi exspectavit, usque dum habitatio in Monacensi Collegio Ottiliensi ei destinata erat preeparata.<sup>78</sup> Medio mense Septembri Archiabbas Norbertus Monacum transmigravit, unde labores suos ad Congregationem regendam efficere voluit.<sup>79</sup> Nihilominus ipse iam providenter dubitavit deliberans, quam

---

75 Clavi ad nomen gentilicium quoque Schimd (= faber ferrarius) alludere dicuntur. - De insigni abbatiali *cfr* etiam Heribert C. STAUFER / Cyprian DERING (edd.): *Album heraldicum Congregationis Ottiliensis*. St. Ottilien 2017, p. 10.

76 *Cfr* notitia brevis in Ann. Ottil., 11.8.1930 (ASO, A.3.4.4).

77 Ante adventum Coadiutoris Archiabbas Norbertus primo in habitationem episcopalem sic dictam transmigraverat, ut habitationem Archiabbatis pro Chrysostomo Schmid vacue-faceret. Chrysostomus SCHMID: *Geschichte von Tragöss* (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) scribit Archiabbatem Norbertum primo in Archiabbiati manere voluisse, sed Abbatem Primatem eius animum hac in re mutavisse. Deliberationes, quibus agebatur de commemoratione Monacensi, iam diutius tractatas esse monstrat exempli gratia epistula Norberti Weber die 27 m. Iun. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

78 In *Chronica Collegii Ottiliensis*, semestri spatio hiemali 1930/31 (ASO, A.4.2) mutatio habitationis Archibbati Norberto destinatae describitur.

79 Transmigrationem Norberti Weber Monacum etiam breviter commemorant Frumentius RENNER: Norbert Weber. *In:* Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 345; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 174; Godfrey SIEBER (1992), p. 137; Gdfrey SIEBER (2016), p. 116; Angelika SCHUSTER-

diu commoratio Superioris generalis in Collegio Monacensi esset duratura.<sup>80</sup>

Post benedictionem abbatiale Coadiutoris Abbas Coelestinus Maier in initio mensis Septembbris secundum mandatum ad praedium Tragoessianum atque Vindobonam vectus est, ut - quantum fieri potuit - statum requereret. Quid et quantum comperire potuerit, nescitur, sed satis fuisse videtur, ut alias actiones institueret. Nam post redditum suum Abbatem Chrysostomum atque P. rem Optatum rogavit, ut ad colloquium habendum in Abbatiam Swikkersperchiensem venirent, ut eos de cognitionibus suis certiores faceret et eis suaderet, ut ipsi Vindobonam veherentur.<sup>81</sup>

Abbas Chrysostomus et P. Optatus itaque Vindobonam se contulerunt, ut consultatione directā cum fratribus Striling aliquid certum de statū Tragoessiano comperirent. Illa sessio die 9<sup>o</sup> m. Sept. a. 1930<sup>o</sup> facta est.<sup>82</sup> Argumenta huius disceptationis complurium horarum erant praeter alia licentia lignorum caedendorum (quae nondum data erat) et pretia ligno-



*Abbas Coelestinus Maier  
in loco Tragoessiano.*

---

FOX: «Dominus providebit». In: Rhaeten-Herold 61/552, 2011, p. 4. Leander BOPP (1952), p. 62 (ASO, D II) per errorem scribit Archiabatem Norbertum mense Ianuario a. 1931 Monacum transmigravisse

80 Sic Norbertus Weber exempli gratiā die 27 m. Sept. a. 1930 ad Thomam Spreiter (ASO, Z.3.0.1.5) scripsit haec: «*Nunc per unam septimanam Monaci in Collegio nostro vessor. Num hic domicilium collocem? Verisimiliter solum paucas septimanas durabit, tunc hic status intermedius finitus erit.*» Et iam die 27 m. Iun. a. 1930 in epistulā ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) adnotavit: «*Facere volo, quae et quam diu possum, quae adhuc facere mihi licent. Num commoratio futuri Praesidis Congregationis Monaci fieri possit, est cura posterior - ipse hoc non credo.*» - (Textū originaliter Theodisci).

81 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2).

82 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2). - Optatus PFÄFFLIN: Tagebuch, 1.11.1930 (ASO, 1.8.1) breviter de die adnotavit se die 5<sup>o</sup> m. Sept. a. 1930<sup>o</sup> primā vice Vindobonae fuisse.

rum. Sed punctum maximi momenti, de quo illi duo Ottiliani aliquid compere voluerunt, pertinebat ad actias officinae Reichraminger.<sup>83</sup> Colloquium autem ex parte Eugenii von Stirling usitato modo aggressivo, quem ex conexū consultationum, quae ad contractum lignorum caedendorum spectaverant, iam novimus.<sup>84</sup> Hunc in modum perceptio, quam Abbas Chrysostomus et P. Optatus de ipso habuerant, magis confirmata est.<sup>85</sup> Tamen eis contigit, ut Eugenium von Stirling adducerent, ut confiteretur se actias officinae Reichraminger possidere et Archiabbatem Norbertum eas ipsi tradidisse ut remunerationem pro contractū lignorum caedendorum perfectō et ut solutionem in antecessum praebitam pro laboribus proximorum quindecim annorum.<sup>86</sup>

Abbas Chrysostomus ergo et P. Optatus ea compererant, quae revera scire voluerunt. Postquam Abbas Chrysostomus immediate post redditum suum Abbatii Primi eventum illorum colloquiorum rettulit,<sup>87</sup> Fidelis von Stotzingen sine morā ab Archiabbatem Norberto postulavit, ut rationem redderet. Quā in re apparuit Archiabbatem die 11<sup>o</sup> m. Iul. a. 1930<sup>o</sup> revera Eugenio von Stirling illas actias ex causis iam commemoratis tradidisse.<sup>88</sup> Hōc significat Archiabbatem Norbertum talia fecisse, cum Coadiutor recenter electus iam esset in itinere in Germaniam faciendo, Archiabbuti itaque revera non iam ullum ius disponendi hac in re fuisse. Bene imaginari possumus sensuum affectionem omnium, qui condicione tacti erant, cum de illis gestis audirent.<sup>89</sup> Non autem respectā quaestione, quomodo aliquis in antecessum pecu-

---

83 Cursum huius disputationis atque strategema suum singillatim descriptis Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2).

84 *Cfr* cap. 13.4.

85 P. Optatus fratres Strilling appellavit «*circumscriptores callidos, nisi omnino homines scelestos*», Abbas Chrysostomus Eugenium von Stirling percepit ut suspectum et sensit «*aliquid diabolicum ex eo provenire*».

86 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2).

87 Fidelis von Stotzingen illo tempore in Abbatii Suarzacensi versabatur.

88 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 5 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). - Breviter hanc rem etiam adnotat Hartmut MADL (1999), p. 253.

89 Significantia sunt enuntiata de hoc eventu, quae Thomas Spreiter in epistulā suā die 6 m. Ian. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 595) protulit. Nam episcopus Thomas intellegere omnino non valuit, quomodo Archiabbas Norbertus talia facere potuisse, praesertim cum ex aspectū iuridico auctoritas agendi ei non iam fuisse. Praeterea scripsit haec: «*Quomodo potest vir intelligentiā praeditus ut ipse talia facere potest? Puto istos homines nequam - rogo, ut hoc verbum excuses, sed melius nescio - consedisse atque*

niam accipere possit pro laboribus, quos omnino non confecit, hic modus agendi «Societati Culturali» et itaque Archiabbatiae Ottiliensi quoque plures difficultates attulit, cum tunc non iam ulli fontes pecuniariae ad administrationem praedii silvestris sustentandam in promptū essent et collapsus pecuniarius revera instare videretur.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 227, 2022, pp. 33-57]

---

*pulchre cum Patre Archiabate locutos esse. Unus ex illis tunc eum firmiter aspexit atque eum hypnotizavit, et deinde ei suggerebatur, quid ei faciendum esset. Fortasse me irrides. Sed sive mihi putandum est Patrem Archiabatatem non iam esse prorsus normalem sive eum hypnosi subiectum fuisse.» - Breviter Thomas Spreiter se hanc rem non intellegere commemoravit etiam in epistulā die 7 m. Iul. a. 1931 ad Coelestinum Maier directā (ASO, Z.3.0.1.11.1).*